

18.10.1824

Bonn

A. W. Salepl

August Wilhelm von S

# Opuscula

Latine scripta reliqui  
collegit et edidit

Eduard Böcking

1972

Georg Olms Verlag  
Hildesheim · New York



02  
106 11  
80 11  
51  
[16]

Dieser Band ist unserem Nachdruck  
der Sämtlichen Werke  
als Band XVI beigegeben.

Dem Nachdruck liegt das Exemplar der  
Niedersächsischen Staats- und Universitätsbibliothek  
Göttingen zugrunde. Signatur: 8° Scr. var. arg. V 4820

ger

b 1731(16)



025/177361

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Leipzig 1848  
Printed in Germany  
Herstellung: fotokop wilhelm wehert, Darmstadt  
ISBN 3 487 03370

# OPUSCULA LATINA

AUGUSTI GUILIELMI SCHLEGELII.

# OPUSCULA


QUAE

AUGUSTUS GUILIELMUS SCHLEGELIUS

LATINE SCRIPTA RELIQUIT.

COLLEGIT ET EDIDIT

EDUARDUS BÖCKING.



LIPSIÆ

VENUM DANTUR APUD WEIDMANNOS.

A·C1310CCCCXXXVIII.

garum electione in senatum sum cooptatus. Quae quum ita sint, neminem alium eligere rectorem poteratis, qui minus quam ego iudicio suo hac ex parte fideret, vehementiusque cuperet peritiorum consilia auscultare, quibus me benigne a vobis adiutum iri, benevolentia vestra, collegae, sperare me iubet. Confirmatur animus, dum reputo adessurum mihi esse prorectorem clarissimum, qui altera iam vice in hac Rhenana, ut alias universitates faceam, rectoris munere insigni cum laude functus est, adessuros senatores, de huius academiae incrementis optime meritos. Hoc solum bona fide polliceri possum, me pro virili esse annisurum, ut post annum exactum dignitatem huius magistratus, quo me evectum miror magis quam gaudeo, integram successori per manus tradam, et ne res publica nostra litteraria sive negligentia mea sive incauta festinatione detrimenti quid capiat. Ceterum, quemadmodum mari tranquillo, coelo sereno, nulla nubecula ne e longinquo quidem tempestatem minitante, vector aliquis, etiamsi minus peritum se rerum nauticarum esse sciat, facile per paucas horas manum gubernaculo admovet, et sine temeritate admovere potest, sic et mihi, quamvis imperitiae meae haud ignaro, istae, quas memoravi, curae florenti rerum nostrarum conditione leniuntur. Non e turbarum fluctibus aegre emergimus, sed vento secundo, velis expansis, nec nimis tamen turgidis, in portum bonae existimationis devehimur. Publice collaudati sunt nuper Borussiae Rhenanae cives propter morum probitatem, modestiam, legum observantiam, denique propter animum vere civilem, qui sincero amoris affectu erga patriam, patremque patriae, optimum

## ORATIO

CUM RECTORIS IN UNIVERSITATE LITTERARIA BONNENSIS  
MUNUS

DIE XVIII. OCTOBRI ANNI MDCCCXXXIII. IN SE SUSCIPERET HABITA.

Dum ad munus obeundum me accingo, cui me designarunt vestra, collegae coniunctissimi, suffragia, comprobata ministerii regii, quod rebus nostris regundis praestet, auctoritate, non possum facere quin fatear, sollicitudine haud mediocri animum meum agitari. Novus mirum atque insolitus honor mihi est habitus, et vix mihi persuadeo, titulo tam honorifico me ipsum consulari. At simul onus insuetum humeris imponitur. Maximam aetatis meae partem longe remotus ab universitatibus litterariis exegi, et sero me ad hoc vitae genus contuli. Accedo igitur ad magistratum annuum gerendum non modo diuturna experientia negotiorum academicorum destitutus, sed ne penitior quidem cognitione rerum rationumque nostrarum instructus. Quam sane non ultro neglexi, sed defecit me occasio. Aderam quidem a prima inde Rhenanae nostrae instauratione, ipsisque eius incunabulis. Deliberationibus vero senatus, ex quo is numero senatorum duodenario constitutus est, non amplius interfui, quandoquidem per annos quatuor integros non huic universitati adscriptus, sed Berolinensis professor censebar. Nec postea quoque vel decani iure, vel colle-

principem, unice spectatur. Hanc famam acquirere magis arduum est, quam conservare. Iure igitur speramus fore, ut hoc nobis in posterum contingat. Cuncta eodem conspirant: singularis viri perillustris prudentia, qui procuratore regio Rhenanae administrandae praepositus indefesso labore commodis nostris invigilat; professorum concordia, cum exquisita eruditione coniuncta comitas, moderatumque et sapiens de rebus humanis iudicium; civium academicorum, qui iam aliquandiu apud nos commorati sunt, consuetudo et exemplum, advenientium aemulatio.

Iam ad vos me converto, commilitones ornatissimi. Scitote optima quaeque me a vobis expectare. Sed de me quid loquor? Patriae magna de vestris studiis et moribus est expectatio, quam cavete ne fallatis. Hunc in finem iam olim constitutae sunt academiae, hunc in finem Rhenana quoque paucos ante annos est condita, regiaque munificentia amplissime dotata, ut haberet ingenua iuventus, quo confueret post scholarum tirocinium ad ediscenda tum ea, quibus ingenia iam adulta sensu veri, pulchri, honesti imbuuntur; tum, quae professionibus nobilissimis rite exercendis sunt necessaria. Videre mihi video, commilitones, in corona vestra iuvenes complures, aliquando futuros pios et eloquentes sanctissimi evangelii interpretes, fidosque sacrorum ministrorum; acutos iuris consultos, candidos litium disceptatores, publicis privatisque negotiis gerendis habiles; medicos ingeniosos malis, quibus mortalitas laborat, vel tollendis, vel saltem sublevandis; egregios artium liberarum magistros, philologos, criticos, rerum naturalium in-

dagatores. scriptores denique cuiuscunque generis librorum, qui sermonis elegantia litteras ornent, eruditionis ubertate doctrinarum penum augeant, argumentorum subtilitate novam ingenii lucem accendant. Horum enim omnium academiae seminaria esse existimantur. At eiusmodi laudes sine strenuo labore impetrari nequeunt. Agite dum, commilitones, accingimini! Apertus est nobis campus spatiosissimus, in quo variis ingenii exercitationibus desudetis. Quod tanto maiore cum alacritate facturos vos esse confido, quanto magis cuiusque arbitrio permissum est, eam studiorum rationem sequi, quam suae indoli optime convenire quisque iudicaverit. Haec docendi discedique libertas, qua nequaquam omnes academiae Germanicae, nedum exterae, pariter gaudent, praecipuum est academiarum nostrarum decus, est pignus publicae fidei nobis habitae, quo dignos probo et sapienti usu tum doctores, tum discipulos se praestare certatim oportet. Si amplitudinem doctrinarum spectamus, quarum notitiam aliquam aetas nostra ab homine liberaliter instituto postulat, angustis terminis inclusum videri debet tempus studiis vestris concessum; quod si fortè inutiliter profusum fuerit, nullo pretio iacturam redimere licebit. Incumbendum est itaque labori, atque perseverandum. Austeram sane vobis vitam propono, memor sententiae istius Hesiodaeae, Numina sudorem in Virtutis aditu collocasse. Attamen libenter agnosco, nec valetudinis curam prae nimio discendi ardore esse posthabendam, et corpori et animo opus esse interdum relaxatione aliqua, denique juvenilem aetatem commodis oblectationibus neuquam debere privari. Quarum opportunitatem vobis offert

situs huius academiae in cultissima et felicissima Germaniae parte, amoenis patris Rheni ripis imminens. His naturae bonis fruamini, dummodo semper exemplo vestro probetis, verum esse aureum istud poetae veteris dictum:

— — — didicisse fideliter artes  
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Ex officio meo impositum mihi est, commilitones, ut alioquo meo addam monitum de re gravissima, de vitandis nimirum sodaliciis; et nisi impositum foret, sponte tamen id facerem. Quid multa? Verbo defungi possum: interdicta sunt legibus. Ante omnia, cives, legibus est obtemperandum. At vero, si quis legem temporum aliqua necessitate expressam severiorem arbitratur, is reputet, non competere privatis hominibus iudicium de legibus, quarum nutu et auctoritate ipsi potius sunt iudicandi. Neque tamen novi vel inauditi quicquam inest huic edicto: nam in omnibus rebus publicis bene ordinatis coetus clandestini semper fuere prohibiti, et in academiis Germanicis iam olim grassatum hoc malum poenis severis saepe est coercitum. Eiusmodi sodalicia aut inepta moliri solent aut perniciosissima. Pius in illa potius cadit, a quorum contagio adolescentia nostra, qui seniores nunc sumus, absterrebat; postertus in recentiora, quae ultimis hisce temporibus mirum quantum pullulavere. Perniciosa, inquam, moliantur ii, qui speciosis nominibus tenebrosos nescio quae et ambigua dissimulantes, adolescentes generosos, sed inconsultos et mali minime suspicaces, eo pelliciant, ut fidem a parentibus, praeceptoribus, magistratibus alienatam solis

ipsis infinite obstringant. Qui ante aliquot annos eiusmodi adlectationibus aures nimis faciles praebuere, fortasse erant excusandi, quum ignorarent qualium consiliorum fierent participes, quorumnam hominum factiosorum rerum novandarum occasione inbianrium fierent sectatores: quae, identidem admoniti, ignorare iam non amplius possunt. Si quis igitur nunc eodem modo delinqueret, sera foret querimonia, leges rem surdam esse atque inexorabilem. Haec a me dicta pro paternis monitis accipitote, mentibusque vestris alius infigitote. Felicem me praedicabo, si mihi contigerit idem quod antecessori clarissimo, ut post annum exactum, nulla sententia tristi promulgata, hunc magistratum deponere possim. Huius laetitiae compotem me faciendi penes vos est facultas, commilitones. Dixi.

## ORATIO

CUM MAGISTRATUM ACADEMICUM

DIE XVIII. OCTOBRIS ANNI MDCCCXXV. DEPONERET HABITA.

Habet academia nostra hoc insigne, quod communes ipsi sunt celebrandi natales cum Germania instaurata. Meministis, auditores, expletum hodie annum duodecimum, ex quo pugna Lipsiensis tyranni sollertissimi, audacissimi, bellicosissimi potentiam retudit atque fregit. Anno quinto post hanc victoriam, in omne aevum memorabilem, Rex Borussiae, dum in consessu principum Europae constituendae gratia habito Aquisgrani moraretur, inter tot gravissima negotia promulgato edicto

regio hanc universitatem litterariam condidit atque in perpetuum stabilivit; palatia, quae Electorum Colonien- sium olim fuerant, cum viridariis adiacentibus plenissimo iure ei concessit; ingens argenti pondus largitus est, unde parari possent praesidia atque adminicula doctri- nae, quibus eius modi insitutum opus est, quorum nul- lum omnino exstabat; denique redditus annuos ei assi- gnavit. Sapienter autem et magnanimo consilio hoc fecit ipso die anniversario istius victoriae, ut scilicet cum tanto beneficio coniungeretur memoria virtutis, cuius tum exteri, tum Germani, consociatis armis, praecipue vero Borussi in campis Saxoniciis immortalia monumenta ediderunt. Quanta tunc est circa Lipsiam facta rerum conversio! Heu! quanto sanguine et quam generoso redempta fuit Germania nostra Gallorum a dominatione, immo potius a tyrannide Napoleonis, quae, tanquam pe- stis generis humani, universam Europam iamiam erat in- vasura! Vos, commilitones, quae vestra est adolescentia, meminisse vix potestis, quae duodecim ante annos peracta sunt. Quaedam fortasse a parentibus et senioribus acce- pistis: sed nec liberum erat istis temporibus communicare cum amicis quae foris gererentur; vel rumores populares comprimebat silentium servitutis. Hoc vero caput, canitie haud inhonesta senectutem ingruentem prodens, multa et varia expertum est, ut paene Ulysses quendam dicere me possim,

Qui multorum hominum mores cognovit et urbes.

Auferam complures annos a Germania, et libenter quidem auferam, quandoquidem vix quidpiam ibi erat obvium, quin aut indignationem moveret aut miseratio-

nem homini patriae amanti, ac de sorte eius futura solli- cito. Lacera atque discerpta erant membra imperii an- tiqui, olim Romani nomine condecorati, paulatim debi- litati, tandem senio confecti. Huius tamen funeri, etsi dolendo, iam assueveramus; quae sinistrae Rhemi ripae adiacent, iam inter primos fere Gallicos tumultus fue- rant avulsae: quam rerum conditionem, iniquae pacis le- gibus dudum confirmatam, nemini in mentem veniebat unquam in melius mutari posse. At Napoleonis ambitio, ex quo Consul factus imperatoriam dignitatem sibi arro- gaverat, longe ulterius grassabatur: paucos intra annos dominationem suam per amplissimum Germaniae infirio- ris tractum ultra Albim porrexit, tum imperii Gallici, tum regni Guessthalici et Magni Ducatus Bergensis sive Montium nomine. Qui fratrem e regno Bataviae, paullo ante ei concessio, expulerat; qui summum pontificem, quum is diadema ipsius capiti imposuisset, statu eccle- siae spoliaverat; qui reliquam Italiam invaserat, Hispa- niis inhiabat: num, quaeso, exspectari poterat, fore, ut is principibus Germanicis parceret, qui tunc foedere Rhenano coniuncti, fato cogente, socii ipsius facti, sub eius vexillis bella gerebant, quorum opes pro tempore augere videbatur? Fatalis plerisque hic homo fuerat hostis; amicus anceps atque subdolus: consilia aegro- tabant, fatiscebat fortitudo, fides erat labefacta, nihil uspiam auxilii relictum. Iam in eo erat, ut monarchiae universalis, quam dicunt, vorago, violentius subinde exaestuans, non Germaniam modo, sed universam Euro- pam absorberet. Quaelibet sane dominatio externa re- spuenda est ac summopere averruncanda populo ingenuo;

at nulla deterior fingi poterat ea, quam nobis imitabatur istud seculi portentum. Francogalli enim, quorum et ingenium et animi vigorem me multis in rebus admirari ultro profiteor, adversarii sunt, si libero pectore obviam iis eas, fortes atque magnanimi; aemuli, quales haud facili labore superes; vicini paullo insolentiores quam pro iure aequabili; domini intolerabiles.

Per omne hoc tempus, dum ita res procederent, ut facile esset ad praevidendum, mox nullam omnino, si fortuna semper arrideret Napoleonis ausis, sicuti eo usque arriserat, servitutis iugo imposito, lingua nostra, litteris, moribus, memoriis maiorum neglectis, contemptis, proculcatis, futuram esse Germaniam; per omne hoc tempus, inquam, peregre commemoratus, in Helvetia, in Italia, plerumque in ipsa Gallia, litterarum studiis officiisque privatis amicitiae, et adolescentiae instituendae vacavi. Quantumvis autem quae sentiebam alto corde premerem, tamen suspicionem ministrorum Napoleonis vitare haud potui. Ergo Gallia mihi est interdictum. Delitui deinde per annum et quod excurrit, in Helvetia; delitui, inquam: foederatae enim Helvetorum civitates nequaquam tunc sui iuris erant; omnia ad nutum socii praepotentis ac superbi gerebantur: quicumque ei displicuisset, extorris agebatur. Receptus fueram per complures annos hospitio feminae illustrissimae, haud scio utrum ob summam ingenii praestantiam, an ob generosam animi indolem magis admirandae. Ea dudum suspecta Napoleoni, quum virili constantia recusasset publicum tyrannidis praeconium, quod istius adultores, tum minis, tum promissis ipsi extorquere conati fuerant,

exsul ab imperii sede, multis modis vexata, in villa sua ad lacum Lemanum in libera custodia retinebatur. Indignae conditionis impatiens mulier animosa decreverat petere Britanniam, tanquam ultimum libertatis propugnaculum: quod quidem fieri non poterat, quum commeatus maritimi undique interclusi essent, nisi per immensas ambages, ambita fere universa Europa. Huius inieris, bello Ruthenico iam imminente suscepti, comes ego factus peragravi Helvetiam, saltus Tirolenses, Austriam, Moraviam, Poloniam, donec diurnis nocturnisque itineribus fatigatus Ruthenorum fines attingerem. Kioviae, in prisca nascentis imperii Russici sede, constiteram, me-mini, in colle ripae Borysthenis imminenti. Ultra fluvium patebat planities arenosa, silvis consita, quousque eorum acies penetraret; nihil agri culti; ne tuguria quidem incolarum frequentiam testabantur; cuncta vasta, deserta, solitaria. Haud magnopere immutata videbatur Scythiae facies, qualem veteres descripsere terram vagabundis pastoribus pererratam. Revolvebam animo bellicas gentium migrationes, quarum quasi vestigia oculis obversabantur. Hinc irruerant Hunni, Hungari, Tartari, gentes efferatae, vastitatem Europae ac horridam barbariem minitantes. At nunc vitae civili ac legum patrocinio tutae, pacis artibus et cultui humaniori ex his ipsis regionibus auxilium sperabatur. Dixisses, tanti erant huius expeditionis utrinque apparatus, Europam atque Asiam, veluti duo maria, aestu reciprocante, modo fluctibus exundantibus, modo violenter refusus inter se colluctari. Per medium armorum strepitum Moscuam perveni: prospectavi e turri excelsa, arcis apice, urbem incitiam,



immenso ambitu, aedificiis publicis, sumptuosus principum domibus, praecipue autem templorum innumerabilium tholis auratis aereisve conspicuam: heu! pompam intra menstruum spatium vasto atque inaudito incendio deflagratam! Properavimus inde Petropolin; neque enim erat tempus procrastinandi, quum iam in interiora Russiae exercitus hostiles penetrasset: In Fenniae portu Aboënsi conscensa navi sinum Bothnicum traiecinus, non sine magno naufragii periculo, tempestate aequinoctiali furente, e qua summi numinis beneficio erepti Holmiam appulimus. Ibi demum respirare, quiete demum et securitate aliqua frui licebat. Tum primum mihi concessum fuit, sensa animi de statu Europae aperte eloqui, si quidem Sueciae rex, suadente regni herede, foedere cum Britannia ac Russia pacto, Napoleonis arbitrio sese subtraxerat. Scripsi per hibernos menses et in publicum editi commentarios, quibus demonstratam tum principibus, tum populis, etiamsi summa virium intentione consilia Napoleonis adiuverant, nihil quicquam nisi certam perniciem inde imminere. Quod nec supervacaneum videbatur: etenim homo, ut erat versutus, non solum regnorum civitatumque opes, sed privatorum etiam opiniones in pravum tramitem detorserat, ita ut haud deessent, qui, etsi manifestum erat, Napoleonis dominatum per rapinas, caedes, ruinas in dies augeri, nihilominus tamen affirmarent parari ab eo generi humano felicitatem nescio quam hucusque incognitam. Interim post infinitam stragem exercitus Gallici socorumque, in receptu e Russia ferro, frigore, nuditate, fame, omnibus denique malis quae humanitas perpeti

potest, confecti, novis delectibus habitis, recruderat in Germania bellum: iam emicuerat, gravi vetero excusso, Borussia fortitudo. Ineunte vere, triremi Suecica conscensa, in Rugiam traieci, secutus auspicia ducis, qui nunc Scandinaviam regit, cui mecum convenerat, ut sibi ab epistolis secretioribus essem. Hunc, quum praecesset exercitui e militibus Borussia, Russicis, Suecicis, Germanisque composito per totam expeditionem comitabar; contexebam ephemeridas rerum gestarum e praetorio edendas; promulgabam quae apta essent populorum undique insurgentium animis excitandis. Neque semel in periculum incurri, ne captus ab hostibus, quoadquidem, Hannoverae natus, civis regni Guesfalici iudicabar, tanquam rebellis capitis damnarer, et patriae amorem ultimo luerem supplicio. Tandem post varias certaminum vicissitudines apud Lipsiam bellum fuit profligatum. Quam ego urbem postridie istius diei, mane, equo invectus sum. Foeda tetraque visu ubique erant obvia. Hinc inde in fossis ad viam aggeratam ductis milites Galli gravi cum singultu spiritum supremum exhalabant; sparsi erant campi cadaveribus equorum, quae sanguine concreto turgentia, supina cruribus sublati, etiamnum, sicuti icti fuerant quadripedes, in cruore proprio volutari videbantur; interdum obstruebat viam globorum ferreorum congeries, quasi seges quaedam Cadmea, e tormentis eiaculata; vagabantur per agros equites isti, ab Asiae confiniis acciti, quos Numidas boreales dicere possis, perinde ut canes venatici praedae hostibusque exspoliandis intenti. In ipsa autem urbe, quum ibi principes foederati dextras coniungerent, Borussiae

rex, Ruthenorum autocrator, Austriae Caesar, Scandinaviae princeps, omnes virtutis bellicae magis quam pompae imperatoriae insigniumque triumphalium studiosi; quum tot exercitus ibi concurrerent, cuncta armorum strepitu fremebant. Hinc erat audire clamores alacres nostrorum, invicem sese exhortantium, ne hostium fuga suam insequendi festinationem praeverteret; illine conspiciebatur pallor et maestus captivorum vulfus, quos crudeli incuria Napoleo aut aegrotantes aut saucios ad triginta milia reliquerat, hostes quidem, sed tunc miserandos: qui universi quum ne victus quidem propter commentuum penuriam iis praeberi, nedum medela adhiberi posset, leto inevitabili perire. Quorum tabes contagio suo deinde cives Lipsienses invasit, ita ut post tantum sanguinis in proelio fusi ingens mortaliū multitudo morbis perimeretur.

Haec in memoriam revocavi, commilitones, ut sciretis, quanti constiterit, ne iuris alieni esset Germania, ut sinistra haec Rheni ripa, in qua verba facio, Germaniae vindicaretur; ut temporis huius felicitatem iusto pretio aestimaretis; ut gratias ageretis regi, qui ad arma semper paratus prudenti consilio tuetur pacem pacisque bona, inter quae litterarum studia haud ultimum locum obtinent.

Iam eo me converto, quapropter hanc meam orationem sum exorsus. Prodi huc eum in finem, ut magistratu academico me abdicarem, quem annum gessi; quem feliciter gessisse affirmare mihi liceat: nullo sane meo merito, sed numinis propitii favore, quem venerabundus agnosco. Aucta est per hunc annum civium academico-

rum frequentia, tum e longinquis regni Borussiae provincijs, tum e reliquis Germaniae partibus confluentium. Apparet academiam nostram et studiorum et morum laude non minus apud externos quam apud vicinos florere. Sine legum severitate nulla quidem omnino res publica vel societas humana consistere potest: attamen modicis tantummodo poenis uti satis habuimus; neque inurenda fuit cuiquam gravissimi exilij sive relegationis nota, quales tristes sententias ab alijs academijs latas satis multas in vestibulo harum aedium promulgari vidistis.

Quod ad suppellectilem nostram litterariam attinet, ad apparatus variarum disciplinarum in usum conquisitos, ad bibliothecam publicam, ad musea tum artis operum, tum rerum naturalium: ea subinde novis opibus augentur, ita ut prae egestate, qua primis temporibus premebamus, iam quodammodo divites nos dicere possimus. Debetur hoc imprimis curae indefessae, iudicio ac delectui professorum qui hisce institutis praesunt, quum unius vel alterius reditus fortasse sint nimis angusti; accedunt dona, quae et ipsa horum virorum aestimatio a liberalibus doctrinae fautoribus elicit. Perficiuntur magis magisque aedificia nostra. Novum theatrum anatomicum prope ad finem est perductum: paucos intramenses museum anatomicum eo transferetur; aestate proxima scholae ibi habebuntur. Laborabat multis incommodis hippodromus, quo huc usque usi sumus; exstruitur novus, splendidus ille atque spatiosus, solidissima contiguatione imposita ne scilicet opus sit sustentare laquearia columnis, quae liberum cursum impediunt. Ne quis me vituperet, quod hoc, utpote nimis leve atque

ab eruditione alienum, commemoraverim; cogitatis, velim, artes gymnasticas apud gentes politissimas in liberali adolescentiae institutione fuisse comprehensas, easque plurimum ad valetudinem et vigorem corporis conferre, et iis maxime esse necessarias, qui magnam diei partem opera sedentaria consumunt. Fatebor tamen, me hac exercitatione adeo delectari, ut equitando quasi iuvenescere denuo mihi videar; neque me paenitebit, commilitones, inter vos in novo hoc hippodromo equum arciore gyro circumagere vel docere frementem

Insultare solo et gressus glomerare superbos.

Gypsotheca nostra eleganter dispositis operibus analogis et signis advenis plerumque vehementer placere solet; sufficere videri poterant haec specimina ad sculpturae Graecae historiam explicandam; expectantur tamen novae copiae e Parisinis huc advehendae: mox admirabimur inter alia Pallada Velitensem et Venerem nuper in insula Melo repertam, exquisitissima artis Graecae opera.

Indigent profecto disciplinae singulae praesidiis suis atque adiumentis; haec vero ipsa, quae pecunia quodammodo parari possunt, multo magis indigent virorum doctorum industria studiisque, ut in usum convertantur et conferant aliquid ad veri investigationem cultumque ingeniorum. Qua ex parte affirmare ausim nullam Germaniae academiam huic nostrae Rhenanae antecellere. Longum est enumerare quot scripta erudita opera professorum Bonnensium brevi temporis spatio prodire; et fortasse offenderem modestiam collegarum, si praedicarem honores, scriptorum horum auctoribus habitos.

Unum silentio praeterire haud fas est, quod et valde honorificum, nec minus fructuosum academiae nostrae me rectore contigisse laetor. Vir illustris<sup>1</sup>, amplissimis muneribus publicis functus, ingenio clarus, facundus rerum gestarum narrator, sagacissimus antiquitatis indagator, ultro, solo eruditionis amore ductus, operam suam nobiscum consociavit, scholam summo cum plausu aperuit, denique voluntario professoris munere functus est et fungi strenue pergit. Cui utinam haec studiorum communitio diu placeat, ita tamen ut nec publica expectatio fallatur, quae scripta eius aut continuata aut novadum desiderat, immo efflagitat.

Quae huius regionis est amoenitas atque opportunitas, a vere ad autumnum affluere huc solent advenae recreationis gratia peregrinantes. Qui antea, quum Bonna nihil haberet quod ostentaret, ulterius properabant, iam paullisper apud nos commorantur, mente oculisque a naturae illecebris ad doctrinae copias contemplandas deflexis. Per hanc vero aetatem eos recepimus hospites, quibus et laetari et gloriari iure possimus. Statim post adventum in sedem suam metropolitanam invisit nos archiepiscopus Coloniensis; vir illustrissimus et summe reverendus omnia instituta nostra cognoscere dignatus est, thesauros vel reconditiores accurate examinavit, et multimodis prodidit caritatem, qua inter sacra munera studia humaniora amplectitur; quae studia cum pietate ac sanctitate sacerdotali coniungi posse ipse exemplo suo praeclare docet. Invisit nos Regis filius natu maxi-

<sup>1</sup>) [Niebuhrus.]

mus, futurus imperii heres: et incredibile dictu est, quanta cum comitate singulos nos compellaverit, quam benigno tum vultu tum sermone exceperit publicae laetitiae testimonia, quibus undique, ut ita dicam, obsidebatur. Quid quod Rex ipse, academiae huius stator et sospitator, nuper limina nostra intravit, inspexit nulla ex iis quae munificentiae ipsius debemus, conatibus nostris placide annuit et publicam inde utilitatem auguratus est.

Commemoratis hisce, quae anno proxime elapso prospera nobis contigere, votisque pro incrementis statuque florente Rhenanae nostrae susceptis, superest, ut ultimo magistratus mei munere fungar. Scitote, commilitones, successorem mihi electum esse collegarum suffragiis, confirmatum a ministerio regio, doctorem et professorem iuris, Ioannem Christianum Hasse, virum doctissimum, scholis scriptisque per Germaniam celebratissimum, integerrimum, aequitatis et iustitiae amanatissimum. Ne dubitetis eum prudenter rebus vestris praefuturum, qui antequam huc advocaretur, de quatuor academiis, Kiloniensi, Regiomontana, Ienensi, Berolinensi egregie meruerat, Regiomonti rectoratum etiam gesserat. Iam, vir clarissime, velim in hunc suggestum ascendas, unde statim loco eminentiore tibi sum cessorus. —

En, commilitones, Rectorem vestrum: hunc suspicite, huic obtemperate, hunc eadem observantia et benevolentia prosequimini, cuius a vobis participem me factum grato animo reminiscor.

VIRO CLARISSIMO

IOANNI FRIDERICO BLUMENBACH

MEDICINAE DOCTORI, IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA GOTTINGENSI PROFESSORI MEDICINAE PRIMARIO, MAGNAE BRITANNIAE ET HANNOVERAE REGII A CONSILIIIS MEDICIS SUPREMIS, ORDINIS GUELPHORUM EQUITI AURATO, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM GOTTINGENSI SECRETARIO PERPETUO, OMNIUM FERE ACADEMIARUM, QUOTQUOT PER EUROPAE ET AMERICAM DISCIPLINIS NATURALIBUS EXCOLENDIS INSTITUTAE SUNT, SOCIO HONORARIO,

S. P. D.

RECTOR ET SENATUS ACADEMIAE  
BORUSSICAE RHENANAE.

Quae fama pervolavit Germaniam de solennibus semisecularibus in honorem tuum hodie celebrandis, ea nec feri potuit quin ad nos perveniret, neque, quum pervenisset, quin laetissimis auribus acciperetur. Quinquagesimo anno revoluta, ex quo tu doctor medicinae creatus historiam naturalem publice profiteri coepisti, merito exultat et gloriatur Georgia Augusta, cui per continuum hoc temporis spatium studia tua, vigiliis, lucubrationes, scholas, ingeniosa experimenta, curam ex universo terrarum orbe rarissima quaeque naturae documenta conquirendi, doctos denique cuiuscunque generis labores incredibili cum alacritate consecrasti; novos tibi honores, novam lauream meditatur; universae litterarum reipublicae te ostentat, ac diuturna tanti viri possessione felicem se praedicat. Merito exultant et gloriantur liberi, cognati, amici, collegae, discipuli: discipulos autem non eos modo intelligimus, qui in subselliis assidentes ex ore tuo suavissimo doctrinas naturales hausere, quod